

tus , ubi Abraham cum Patribus beatifico Vultu Dei Patris , ac divini ejus Filii froritur , suoque Sinu eos maxime complectitur , qui præ certis crucem in hoc Mundo pro Dei amore portarunt . Locum hunc nos nunc Beatorum Paradisum appellamus , seu Regnum Cælorum . Quamobrem frustra agit Burnetus , quem Sinum Abrabæ apud quosdam ex antiquis ostendens , inde Beatitudinem Animarum exclusam putat , quem & ipsi veteres eo nomine significarint Locum ineffabilis Beatitudinis , ante Resurrectionem Justis conlatæ : Idem super nos docuit S. Hilarius . Paria quoque didicimus ex antiquissimis Liturgiis , ac præcipue ex Liturgia S. Jacobo tributa . Sed nemo luculentius quam Ambrosius expressit , quid sit Abrabæ Sinus , & quanta ibi Justorum Spiritus Beatitate donentur .

Accipe , quæ beatissimus ille Antistes dicere pergit in eodem cap. xi. Sed nunc , Pater (ita Redemptorem nostrum alloquitur) etiam atque etiam extende ad suscipiendum nunc Pauperem manus tuas . Aperi gremium tuum . Expande Sinus tuos , & Plures suscipias , quia plurimi in Dominum crediderunt &c. IBIMUS AD EOS , QUI RECUMBUNT (inquit Recumbunt , non vero Recumbent) IN REGNO DEI CUM ABRAHAM , ISAAC , ET JACOB , quoniam rogati ad Cænam non se excusaverunt . Ibimus eo , UBI PARADISUS EST JOCUNDITATIS : ubi Adam , qui incidit in latrones , nescit jam vulnera sua flere : ubi & Latro ipse REGNI COELESTIS CONSORTIO gratulatur : UBI non frigus , non grando &c. sed sola DEI FULGEBIT CLARITAS . Dominus enim erit Lux omnium ; & illud Lumen verum , quod illuminat omnem hominem . Fulgebit omnibus . Ibimus eo , UBI servulus suis Dominus JESUS MANSIONES PARAVIT , UT UBI ILLE SIT , ET NOS SIMUS . En quo sensu veteres accipiebant Apostoli verba cupientis dissolvi , & esse cum Christo : nempe hinc abire , ut exemplo in beatissimum Domini nostri Confortium & regnum transferretur . Tum Ambrosius ostendit , non Apostolis tantum , sed & reliquis Justis jam paratas esse beatas illas in Cœlo mansiones . Quod si adhuc scisceitaris , quid significet Terra Viventium , quid Requies : respondet S. Doctor , nihil aliud hinc vocibus significari , nisi Sinum ipsum Abrabæ , in quo Beatorum vita , in quo illud Bonum , quod videre desiderabat David , ideoque dicebat : Credo videre bona Domini in Terra Viventium : & Convertere Anima mea in Requiem tuam . In quo Bono est Requies pura , Lux immortalis , Gratia perpetua , Hereditas Animarum pia , & secura Tranquillitas : ubi non umbra sed Gloria : Reliqua prætermitto .

Itaque habemus Ambrosium , non Burneti somniis , sed Catholice veritati aperte faventem . Et ne ipsum velimus sibi contradicentem , quum dicit : Coronæ Dies exspectatur ab Omnibus , ut intra eum Diem & Victòrē erubescant ; & Victores palman adipiscantur victoria (quæ nobis nuper opponabantur) : concilianda hæc sunt cum aliis dilucidis ejus verbis , ut significant manifestationem aut perfectionem Praemii aut Poenæ , quæ Omnes manet in supremo Christi Judicio ; aut hæc